

triæ furis tribuendum est, imo omnino ut fructus industrialis habendus juxta eos qui dicunt pecuniam ex natura sua sterilem esse. Hæc autem sententia non destituitur omni fundamento, licet opposita nunc probabilior et communior evaserit. Præter quod dominus læsus præsumitur contentus, si pecuniam recuperet, et, quoad damna quæ passus est ob ejus carentiam, indemnus fiat.

613. — *R. ad 2^m Quæst.* Etiam in hac hypothesis attendendum est ad damnum quod dominus læsus præsumitur subiisse, defectu pecuniæ, et illud reparandum est. Secus non videtur fur urgendus ad restitutionem lucri percepti, quia tanquam fructus industriæ haberi potest. Cæterum in praxi difficile restitutio hujusmodi lucri obtineretur.

614. — *R. ad 3^m Quæst.* Satis est si fur gallinæ SISINUS valorem bestiolæ restituat. Absolute quidem loquendo, stando in rigore principiorum omne lucrum, deductis expensis, restituere deberet, quia *res fructificat domino*, et ipse dominus hæc omnia commoda ex gallina sua obtinere potuisset. Attamen, *moraliter loquendo*, quando agitur de furto rei parvæ et valde communis, sufficit si valor rei illius restituatur, quia, ex æstimatione communi, dominus rei proprie aliud damnum non passus est. Etenim, si velit rem aliam similem habere, facillime hanc sibi procurare potest. *Ita communiter, Bouvier, etc.*

CASUS VIII.

POSSESSOR MALÆ FIDEI 3^o.

1^o ROMARINUS, villicus, in prædio LICINII constitutus ad rustica negotia gerenda, centum frumenti modios domino subripuit, quos insequentibus anno vendidit, quando scilicet, propter annonæ penuriam, frumenti pretium in duplum excreverat. Dominus autem, si habuisset illud, ut reliquum vendidisset, eo tempore quo vilius venibat.

2^o Idem ROMARINUS etiam domino suo furatus est vitulum, qui paulo post secus fuisset lanioni venditus. Crevit incolumis servatus vitulus, et ingens bos evasit. Pœnitentia autem ductus, ROMARINUS pergit ad confitendum, et postulat a Confessario quid sibi sit agendum, seu quid restituendum? Titubans vero confessarius nescit quid interroganti respondeat?

HINC :

QUÆR. 1^o *Quid restituendum a possessore malæ fidei, quando res fur-tiva habet alium valorem tempore detentionis?*

2^o *An ROMARINUS restituere summum valorem debeat, quem habuit sive frumentum sive vitulus?*

3^o *Quid contra, si res aliqua subripiatur tempore majoris pretii, et postea restituatur cum valor decreverit; vel res, ut est frumentum, creverit et decreverit?*

SOLUTIO :

615. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o Dominus omnino reddendus est indemnus :

quare, si res deterior facta est apud furem, hic restituere debet juxta valorem quem habebat quando rapta est.

2^o Si res crescat apud furem, domino crescit, quia semper ad eum pertinet; proinde, si fur eam vendat aut consumat tempore majoris valoris, tenetur de hoc valore apud dominum.

3^o *Controvertitur* vero in hoc casu, scilicet, si dominus consumpturus fuisset rem suam tempore minoris pretii, et fur eam crescentem et postea decrecentem servaverit : an hic pro majori valore teneatur? *Affirmant alii*, quia, tempore majoris valoris, fur hujus valoris erat debitor; debitum autem contractum non cessat, nisi per solutionem. Sed *negant alii et probabilius*, quia non tenetur ad majorem valorem, neque ratione rei acceptæ, quæ nunc minoris valet, neque ratione damni illati, quia dominus fit indemnus. *V. Comp. n. 648.*

616. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o *In primo casu* ROMARINUS restituere debet frumentum juxta summum valorem quem habebat quando fuit venditum a villico, licet dominus fuisset illud venditurus anno præcedenti, antequam cresceret. Ratio est, quia, tempore hujus majoris pretii, pertinebat ad dominum. Præterea fur ex re aliena ditescere nequit.

2^o *In secundo casu*, ROMARINUS restituere debet bovem, talem prorsus qualem eum nunc habet, quia qualis nunc est in individuo, domino clamat. Sic respondeat Confessarius; non est enim ratio quare titubet. Difficultas tamen non parva erit in compensandis expensis, pro enutriendo bove, et commodis ex ejus labore perceptis. Hæc moraliter ex æquo et bono æstimanda sunt.

617. — *R. ad 3^m Quæst.* 1^o Si res aliqua subripiatur tempore majoris valoris, et postea ejus pretium decreverit, fur tenetur ad restitutionem juxta valorem majorem, seu juxta valorem quem habebat quando sublata est, si dominus rem fuisset tunc venditurus, et non usque modo conservaturus. Ratio est, quia fur hujusmodi debitum contraxit, et dominum indemnem facere debet. Ergo...

2^o Si vero res subripiatur tempore minoris pretii, et postea creverit, et subinde decreverit, probabilius satis erit restituere juxta ultimum valorem, nisi dominus præsumatur eam voluisse vendere tempore majoris pretii. *V. Comp. n. 648.*

CASUS IX.

POSSESSOR MALÆ FIDEI 4^o.*Cujum pecus?*

MELIBŒUS, agricola, cum magna cura miræ magnitudinis suam enutriebat, atque ex ea spem formosi pecoris in pectore gerebat. Verum in bona sorte nimium confidens, inania jactabat. Etenim, quadam intempesta nocte, BLASIUS belluam e stabulo subduxit, et in domum propriam secreto adduxit. Novi possessoris cura, sus prægnans evadit: quare brevi tempore ingens porculorum familia in lucem prodiit. Hæc multiplex proles mox grandior efficitur. Anno autem vix elapso, remordente conscientia, cogi-

tabat BLASIUS de sue furtiva domino restituenda; sed porcina familiam, utpote suam seu industriæ fructum, servare intendebat, cum, nocte quadam, ab alio fure seu a TITIO grex totus fuit ablati, et paulo post morbo infectus periit.

HINC :

QUÆR. 1^o *Cujum pecus? an MELIBOEI? seu, an BLASIUS, ante furtum TITII, obligatus fuerit ad gregem integrum MELIBOEI restituendum?*

2^o *An, restituendo, se indemnem facere potuerit pro expensis a se factis, gregis enutriendi causa?*

3^o *An de facto fur uterque ad restitutionem teneatur, cum omne pecus interierit?*

4^o *An fur uterque sit æqualiter obligatus erga MELIBOEUM, si TITIVS novit gregem ad illum pertinere? vel quis eorum primario teneatur?*

SOLUTIO :

618. — *R. ad 1^m Quæ.* Pecus revera fuit MELIBOEI, et quidem integrum; quapropter iniquus BLASIUS, ante furtum TITII, nullam merebatur commiserationem, atque ex rigurosa justitia erat urgendus ad restitutionem non solum *formosæ suis* quam MELIBOEI, rapuit, sed etiam totius porcellorum familiæ; *res enim fructificat domino*. Ergo pulli ad ipsum dominum suis seu MELIBOEUM pertinebant. Nec potuisset BLASIUS servare porcina familiam, restituta matre, titulo industriæ, siquidem nulla reperitur in hoc industria specialis. Præterea nonne MELIBOEUS fuit impeditus quominus hac industria uteretur, siquidem ipse spem formosi pecoris in pectore gerebat?

619. — *R. ad 2^m Quæ.* BLASIUS potuisset sane, restituendo gregem, se indemnem facere pro expensis ad porcos enutriendos a se factis, quia etiam dominus illas expensas facere debuisset. Ad hoc igitur nonnullos porcellos sibi servare, titulo compensationis, ipsi licuisset.

620. — *R. ad 3^m Quæ.* Interitus rei furtivæ minime dispensat furem ab onere restitutionis, etiamsi res illa absque furis culpa perierit; quia, auferendo illam a domino, omne ejus periculum in se suscepisse censetur. Hinc in casu nostro neuter fur a restitutione facienda excusandus est.

1^o BLASIUS ad restitutionem certo tenetur erga MELIBOEUM. Ipse enim jam totam obligationem restituendi contraxerat a principio, et hac obligatione erat obstrictus, quando grex a TITIO ablati est. Porro obligatio semel contracta, nisi per solutionem, non cessat.

2^o TITIVS tenetur ad restitutionem erga BLASIUM, si ignoret, ut supponitur, animalia sublata ad eum non pertinere; erga eum igitur in hac hypothese remanet obligatus.

621. *R. ad 4^m Quæ.* Uterque fur sane tenetur in solidum ad MELIBOEUM indemnem faciendum. Sed non sunt pares in hac obligatione. Tenetur priori loco ultimus gregis possessor, propter actualem ejus detentionem; siquidem, gregem abducendo, totum ejus periculum in se suscepit

Etenim, licet TITIVS et BLASIUS sint in injusto furto pares, sunt tamen impares in actualitate detentionis; nam detentione actuali TITIVS in se *primario* assumpsit omnia pericula actualia. Ergo solus tenetur *primario* ad restitutionem integram rei furtivæ in sua detentione destructæ. BLASIUS igitur in casu non tenetur ad restitutionem, nisi *secundario*, id est defectu TITII. Ergo, si iste restitutionem MELIBOEI jam fecerit, BLASIUS totam pecuniam a TITIO acceptam, titulo indemnitis, servare potest. Proinde, si TITIVS sciat animalia fuisse MOELIBEI, et ei immediate restituat, BLASIUS ab omni onere restitutionis liberabitur.

CASUS X.

POSSESSOR DUBIÆ FIDEI.

TETRADIUS nonnullis laborat scrupulis circa varias quas tenet possessiones :

1^o Ingressus est possessionem prædii alicujus sibi donati, aut venditi; postea autem dubitat de legitimitate tituli possessionis, nec veritatem facile detegere potest.

2^o Emit varias merces, et plures alias dono accipit, cum dubio utrum furtivæ sint necne; et etiam ad talem dominum vel talem alium pertineant, aut fuerint vere venditoris.

3^o Dum accipit solutionem debiti, sibi visum est summam debito majorem a debitore numerari; tacuit, pecuniamque cum alia in crumena miscuit, ita ut nesciat neque scire possit utrum plus æquo acceperit necne.

4^o Alias simile dubium ipsi occurrit, sed post acceptam solutionem tantum. Alias etiam accepit bona fide solutionem debito majorem, et postea, re cognita, non invenit amplius dominum.

5^o Surripuit apud TITIVM, hæredem universalem CAII, 1,000 fr., quia probabiliter existimabat hos a CAIO sibi donatos fuisse.

HINC :

QUÆR. 1^o *Quid in genere statuendum de possessore dubiæ fidei?*

2^o *Quid dicendum in propositis dubiis?*

SOLUTIO :

622. — *R. ad 1^m Quæ.* Possessor dubiæ fidei : 1^o diligentiam adhibere debet ad inquirendum, ut dubium deponere valeat; 2^o si dubium perseveret, facta inquisitione debita, rem probabiliter retinere potest, in casu quo ei bona fide possidenti dubium supervenerit; quia, *in pari casu vel dubio, melior est conditio possidentis*; 3^o si vero dubium præcesserit possessionem, restituere debet possessor *pro rata dubii* probabiliter domino. Imo, si dubiam possessionem inceperit, spoliando alium possessione sua, tenetur totum restituere priori possessori. *V. Comp. n. 652.*

623. — *R. ad 2^m Quæ.* In primo Casu TETRADIUS prædium servare potest, ut ex dictis patet.

In secundo casu, inquireat diligenter; postea, si dubium remaneat, restituere debet *pro rata dubii*, domino probabili, vel pauperibus, ignoto penitus domino.

In tertio casu, TETRADIUS domino diligenter inquisito, nec detecto, per se pecuniam probabiliter superfluam, partim restituere deberet pro rata dubii; quia dubium illud possessionem præcessit, juxta id quod superius dictum est. Sed in præsentī casu applicatio principii videtur impossibilis. Etenim TETRADIUS neque scit utrum aliquid superfluum acceperit, nec quantum acceperit; deberet quidem ille restituere *pro rata*; sed quæritur pro rata cujusnam summæ? et responderi nequit. Ergo in hoc speciali casu non videtur ad quidpiam obligari.

In quarto casu, totum retinere potest, post factam diligentem de domino inquisitionem, quia tunc dubium post possessionem jam habitam subsequutum est; et proinde possessor ille dubius, possessori bonæ fidei a fortiori æquiparandus est. Possessor autem bonæ fidei, ut suo loco jam dictum est, in pari casu, quæsito frustra domino, rem non suam servare potest. Dico a fortiori, quia, si possessor bonæ fidei rem aliquam servare potest, non invento domino, quando novit certo eam fuisse alienam, a fortiori quando dubitat an ad se vel ad alium pertineat.

In ultimo casu, totum restituere debet, quia *in dubio seu in pari causa melior est conditio possidentis*. V. Comp. n. 652, etc.

CASUS

DE INJUSTO DAMNIFICATORE

CASUS I.

VIR NOCENS JURE SUO UTENDO.

ZEPHIRINUS, arenæ extrahendæ gratia, in proprio prædio altam excavat foveam. Novit quidem ANDREAM de nocte per hunc locum sæpius transire; nec tamen eum admonet, ut sibi caveat. Transiens autem ANDREAS, nec ad periculum advertens, in foveam decedit, et crus frangit: quare labori consueto per duos aut tres menses vacare prohibetur.

HINC:

QUÆR. 1° *An teneatur ad restitutionem qui alteri nocet, ponendo causam indifferentem, vel justam?*

2° *Quid, si id ex odio peragat?*

3° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

624. — *R. ad 1^m Quærs.* 1° *Nego*, si causa posita justa sit ex parte agentis, quia *utitur jure suo*, nec agit animo nocendi alteri; nec proinde jus illius ullum lædit, licet forte ejus damnum præviderit. Sic non peccas avertendo torrentem tibi nocivum, etiamsi prævideas illum vicino tuo futurum esse noxium.

2° *Secus*, si causa sit indifferens, nec jus strictum habeas illam ponendi. Sic peccas contra justitiam avertendo aquam non tibi nocivam, si alteri nocere debeat. Hinc solutio hujusmodi casuum a variis circumstantiis pendet. V. Comp. n. 603.

625. — *R. ad 2^m Quærs.* Eadem solutio probabiliter etiam danda est ac in casu præcedenti; scilicet, vel agens justam habet causam agendi, vel non: *si posterius*, injuriam alteri facit, et tenetur ad restitutionem; *secus, si prius*. Nec obstat malevolus nocendi animus, quia intentio prava nequit facere injustum quod de se justum est. Hinc non peccat contra justitiam qui avertit torrentem sibi nocivum, etiamsi intendat etiam alteri nocere, vel de damno præviso gaudeat. V. Comp. *ibid.*

626. — *R. ad 3^m Quærs.* ZEPHIRINUS graviter peccavit contra caritatem, omittendo admonere ANDREAM, ut sibi præcaveret; minime vero contra justitiam deliquit, quia justam causam habebat in proprio fundo foveam excavandi. V. Comp. n. 603.